

# R CINNAMOMUM.

**C**oc Sinenses Kuey pi vocant, in Provincijs Quam tum, Quamsi, & Tunchin provenit, sed melius omnium in Ceylan Insula, (cui olim Sinenses hoc vocabulum ex multis navibus confractis imposuerant) progeneratus. Folium Cinnamomi tres nervos coloris viridis habet, flores albos & parum odoriferos, fructu cum nucleo similem olivis, qui dum nigrescit tempus decorti candæ Arboris Cinnamomi advenisse colligunt. Prædictus fructus est vnuosif liquoris, redolet Laurum, sapor illius acutus & amarus. Arbor ramifera duos cortices gignit, secundus & Cinnamomū, qui arbore detractus, in terra à Sole ficcatus colorem lateritium acquirit, nam illius naturalis cinereusest. Tertio quoq; anno in locū abstracti corticis novū producit. Olim Sinenses ex Ceylan Cinnamomum deferebant Ormuzium, & inde Alepum Syriae atq; in Græciam deportabatur. Ignari ex Æthiopia & Ægypto illud venire credebant; cùm tamen in illis Regionibus non nascatur. Sæpè quadringenta navigia Sinensia appellebant ad Sinum Persicum, aurum, sericum, gemmas, muscum, Porcellanas, æs, alumem, nucem muscatam; atq; Garyaphilla deferentia & præcipuè Cinnamomum, cui Mercatores, à Sinensibus alias dito Arboris dulcis cortex imposuerunt nomen Cina- & momum, quod significat lignum Sinense dulce & odoriferum. Vix vno anno suam perfectionem primævam retinet. Radix arboris est sine sapore, olet camphoram, ex viridibus autem Corticibus distillant aquam, ex floribus, quæ non est adeò aromaticæ. Flores colicos & ventositates abigit; laxat vrinam, confortat cor, hepar, lienem, nervos, cerebrum, etiam contra venenum ac morsus serpentum inferuit. Excitat appetitum, & comitialem amovet morbum. Ex fructu conficiunt vnguentum pro frigiditatibus; & adustum odorem spirat suavem. Si pulvis Cinnamomi bibatur cum aqua viperarum morsibus medetur, & internas renum inflammationes extinguuit, maculas quoque faciei cum molificativis applicitus tollit. *Cinnamomi figuram vide sub Littera G. 2.*

RHA.